

non est in potestate Clerici ei renunciare, ita non debet esse in potestate singulorum Episcoporum eidem præjudicare per delegationem, vel consensum in Judicem Laicum; immo cum non possint Episcopi neque in causis suis etiam civilibus consentire in Judicem Laicum, ex textu expresso in cap. *Si diligenti* 12. de foro competent., ita nec etiam possunt consentire in causis civilibus suorum Clericorum; quod enim juris quis pro se non habet, neque pro aliis congruit habere, eademque de causa non possunt facere Episcopi consentiendo in personalem læsionem Clerici, quin sit locus privilegio Canonis, et excommunicationis; arg. cap. *Universitatis* 24. et cap. *Contingit* 36. de sentent. excommun.

(40. Summus Pontifex ex certa scientia potest non solum causas Civiles, et Criminales Clericorum, sed etiam quasdam alias Ecclesiasticas, seu spirituales Delegare alicui Laico v. gr. Imperatori, Regi etc. Sic Glossa in cap. *Decernimus* 2. de judiciis, verb. *Non præsumant*, ubi id probat ex pluribus Sacris Canonibus, et signanter ex c. *Adrianus* 23. et cap. in *Synodo* 24. dist. 63. et cap. *Illud* 10. caus. 10. quæst. 3. et aliis, et sic alia Glossa in cap. *Bene quidem* 1. dist. 96. communiter ab omnibus recepta teste Julio Claro in *Practica Crimin.* lib. 5. § fin. quæst. 41. n. 8. et cum plurimis a se citatis. Pignatell. tom. 2. dict. consult. 43. num. 7. Pirhing loco citato num. 34. Reiffenstuel loc. cit. n. 92. et communis aliorum. Idque specialiter concedendum est Summo Pontifici propter plenitudinem suæ potestatis; quam habet non solum in ordine ad causas Clericorum, aliasque Ecclesiasticas, sed etiam in ordine ad dispensandum de jure supra jus ipsum; textu expresso in cap. *Proposuit* 4. de concessio. Præbend. ibi: «Secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare;» et hoc ipsum olim jam factum fuisse legitur in citatis cap. *Adrianus*, cap. in *Synodo*, et cap. *Illud*, quia non is, qui Jurisdictionem exercet, sed qui præcipit exercendam jus dicere videtur, c. *Ut fama* 35. de sentent. excomm. ibi: «Cum hoc non ipsi, sed illi, quorum auctoritate id faciunt, facere videantur.» (41. Notanter autem fuit dictum posse Summum Pontificem, «etiam quasdam alias causas Ecclesiasticas, seu spirituales Delegare alicui Laico,» quia non potest Papa tollere Clericorum exemptionem in totum, seu quoad omnes Clericos, omnesque causas ipsorum: Farinaccius lib. 1. Crimin. quæst. 8. n. 4. Julius Clarus in *Practica Crimin.* lib. 5. § fin. quæst. 41. num. 8. ubi testatur esse hanc communem Doctorum sententiam; et ratio est, quia ex tali derogatione, seu immutatione decoloraretur universalis status Ecclesiæ, contra quem nequit Papa dispensare; arg. cap. *Et illa* 23. caus. 1. quæst. 7. cap. *Memor sum* 6. caus. 24. q. 1. et tenet expresse Glossa adductis multis juribus in cap. *Proposuit* 4. de concessio. præbend. vers. *supra jus dispensare*, Abbas ibidem n.

14. Reiffenstuel l. c. n. 92. et alii passim.

(42. Delegati Judicis officium expirat, et cessat pluribus modis. Primo, morte Delegati, si delegatio fuit personalis, seu expresso proprio nomine Delegati facta; l. *si quis alicui*, § *Morte*, ff. *Mandati*. Non enim tunc Delegati officium, et jurisdictio transit ad hæredes; l. *Mandatum* 58. ff. *Mandati*; neque ad successorem, quia tunc sequitur personam, et veluti accessorium extinguitur cum persona cap. *Privilegium personale* 7. de Regul. Juris in 6. ibi: «Privilegium personale personam sequitur;» cap. *Accessorium* 42. de Regularium Juris eodem ibi: «Accessorium naturam sequi congruit principalis.» (43. Secus est dicendum, si delegatio fuit realis, id est facta contemplatione dignitatis, et non personæ, v. g. Episcopo, vel Officiali Alexandrino, nam talis delegatio non expirat morte Episcopi, vel Officialis tunc existentis, sed transit ad successorem in eadem dignitate, vel officio, etiam si res sit adhuc integra; cap. *quoniam* 14. de offic. et potest. Judic. Delegat. ubi Pontifex confirmat ut justam sententiam latam a quodam Abbate successore alterius Abbatis delegati, et præmortui, reddita ratione ibi: «quia sub expressis nominibus locorum et non personarum commissio emanavit;» et in ejus summario expresse dicitur: «Delegatio facta Dignitati non expresso nomine proprio, transit ad successorem.» Et sic Glossa ibid. verb. *Substitutum*; Abbas num. 2. Barb. n. 1 et 3, cum communi aliorum. Et ratio est, quia dignitas non moritur neque variatur per mortem, et variationem personæ; cap. *Si gratiose* 5. de rescriptis in 6, adeoque successor in tali dignitate causam debet reassumere in terminis, in quibus antea fuerat, eamque, prout justitia exigit, terminare, leg. *Mortuo*, ff. *de judiciis*. (44. Secundo cessat officium, et jurisdictio Delegati per mortem Delegantis, quando res est adhuc integra, et nondum Judex uti cœpit Jurisdictione, secus quando res non est amplius integra, sed causa commissæ jam incœpta est; c. *Licet undique* 30, de offic. deleg. ubi clare deciditur quoad utramque partem, ibi: «Inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod si Jurisdictione a suo sibi collega delegata, eo vivente uti non cœperit, quia mandatum hujusmodi re integra morte mandatoris expiravit, non habet solus officium judicandi. Si vero ante mortem illius, Jurisdictione uti cœperit demandata, vices suas, et illius poterit adimplere;» concordat cap. *Relatum* 19, et cap. *Gratum* 20, de offic. delegat. et cap. *Quamvis* 6, eod. in 6, et l. *Et quia*, ff. *jurisdict. omn. Jud.* Et ratio utriusque partis est, quia per actum Delegationis non transit efficaciter Jurisdictio in delegatum, donec is ea uti cœperit; et e contra per exercitium Jurisdictionis ante mortem Delegantis, Jurisdictio efficaciter transit in Delegatum, ut clare habetur ex d. c. *Quamvis* 6, de offic. delegat. in 6, ibi: «Cum Jurisdictio (ex quo ipsa usu non extitit) non censeatur in eum efficaciter transire.»

(45. Ut res non sit amplius integra, et sic

perpetuetur Jurisdictio delegata, sufficit citatio partis facta per Delegatum ante mortem Delegantis; c. *Gratum* 20, de offic. et potest. Jud. Delegati; ubi Urbanus III, super hoc consultus respondit quod «Cum... citatione facta, negotium sit quasi cœptum... potest, et debet in causa procedi;» concordat cap. *Nemini*, de offic. Legati, ubi dicitur, quod Jurisdictio Delegatorum per Legatum Sedis Apostolicæ expiret, si ante hujus discessum a Provincia sibi commissæ, citatio per ipsos facta non præcessit, ibi: «Cum Jurisdictio istorum expiret, si ante illorum discessum, horum citatio non præcessit.» Hinc Glossa ibid. verb. *Citatio*, sic inferit: *Ergo si citatio præcessit, valebit commissio post discessum; sic per citationem perpetuetur Jurisdictio; sic cap. Gratum* 20, et cap. *Licet* 30, de offic. Delegat. cap. *Proposuit* 19, de foro competent. cap. *Ut debitus* 59, de appellat. cap. *Capitulum Sanctæ Crucis* 30, de rescript. in quibus dicitur, quod sola citatione, sive conventionem prævenitur Jurisdictio aliorum; hucusque citata Glossa. Et ratio est, quia ut perpetuetur, et duret Jurisdictio Delegati respectu partium, sufficit, quod res fuerit incœpta, et intervenerit aliquis actus erga partes; arg. cit. cap. *Gratum*, cap. *Licet*, cap. *Nemini*, cap. *Proposuit*, mox cit. sed per solam citationem incipitur causa, et judicium, cum ipsa citatio sit primus actus respectu partium, ac Jurisdictionis contentiosæ erga eas exercendæ; cap. *Quoniam* contra 11, § *Statuimus*, de probationibus, et § fin. Institut. *de pœna temere litigantium*, ubi pro primo actu judicii ponitur citatio, adeoque etc. (46. Immo ad perpetuandam Jurisdictionem Delegati, sufficit quod ante mortem Delegantis præcesserit citatio, licet talis citatio ad partes antea non pervenerit. Ita Glossa margin. communiter recepta in Clementin. 2. *Ut lite pendente*, Abbas in d. cap. *Gratum* num. 3, et ibi Layman num. 2. Barb. num. 5. Sanchez lib. 8, de Matrim. disput. 28, n. 13. Pirhing lib. 1, decret. tit. 29, n. 179. Reiffenstuel ibid. n. 41, et alii, et colligitur ex dict. cap. *Gratum*, in quo habentur hæc præcisa verba: «Ante obitum Delegantis proposito citationis edicto... et quod cum citatione facta, negotium sit quasi cœptum... potest, et debet in causa procedi;» ubi, ut vides, non distinguit an citatio jam pervenerit ad notitiam, necne; et ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Et ratio est, quia, ut res, seu causa censeatur jam incœpta, et non amplius integra, sufficit solus Judicis actus respectu partium, ex cit. cap. *Gratum* 20, et cap. *Licet* 30, de Jud. Delegat. et cit. cap. *Quamvis* eod. in 6, sed talis actus judicii jam intervenerit per solam citationem a Judice Delegato factam ex dict. cap. *Quoniam contra* 11, § *Statuimus*, de probationibus, et § fin. *de pœna temere litigantium*, adeoque etc.

(47. Contra id tamen solet adduci textus in cap. *Relatum* 19, de offic. Delegat., ubi Lucius III expresse declarat, quod tunc solum res, seu causa primum desinat esse integra,

et perpetuetur Jurisdictio Delegati, quando incipitur fieri litis contestatio; ibi: «Si vero ante litis contestationem (*Delegans*) decessit, non est a Judicibus, quos delegaverat, ex delegatione hujusmodi procedendum,» adeoque ad id non sufficit sola citatio partium a Delegato facta. (48. Ad hanc autem objectionem, relictis variis aliis solitis dari responsionibus, respondetur, quod Decretalis Lucii Tertii in dict. cap. *Relatum* 19, de offic. Delegati, fuit quantum ad hoc correctæ per Decretalem Urbani III, in d. cap. *Gratum* 20, eod. tit. Sic Glossa in cit. cap. *Relatum*, verb. *Contestata*, Tancredus et Goffredus pro hac sententia citati ab Abbate in dict. cap. *Gratum*, Decius in dict. cap. *Gratum*, num. 1. Layman ibid. 1, decret. tit. 3, num. 248, et alii: Ex quo enim (dicit Layman loc. cit.) Legibus Civilibus non sit satis expressum, an Jurisdictio Delegati incœpta primum censeatur per litis contestationem, vel potius per ipsam citationem, quia pro utraque parte stant graves Auctores: hinc etiam orta est diversitas Decretalium. Nam Lucius III, in dict. cap. *Relatum*, priorem sententiam tamquam tutiorem secutus, respondit ad continuandam seu perpetuandam Delegati Jurisdictionem requiri, quod ante mortem Delegantis fuerit incœpta litis contestatio. Urbanus autem III immediatus ejus successor posteriorem sententiam tamquam benigniorem secutus, respondit ad id sufficere, quod ante mortem Delegantis sit facta a Delegato partium citatio, cum, ut loquitur textus, «citatione facta, negotium sit quasi cœptum.»

(49. Nec valet dicere, quod data hac responsione, admitteretur in dictis duabus Decretalibus immediate in corpore juris se subsequentibus manifesta contrarietas, qualis tamen in volumine ejusdem compilationis (nisi id exprimatur) non est admitenda, cum oporteat, quantum fieri potest, jura iuris concordare; cap. *Cum expediat* 39, de election. in 6. ibi: «Cum expediat concordare jura iuris, et eorum correctiones (si sustineri valeant) evitari.» (50. Non valet, inquam, quia non subsistit objectio allata, quando posterior Canon expresse corrigit priorem in eodem compilationis volumine positum, ut cap. *Exigit* 2, et cap. *Felicis* 3, de censibus in 6, quod simile contingit etiam in nostro præsentis casu, si non verbis omnino expressis, saltem ipso facto, cum facto ipso Canon posterior deroget priori, etiam nulla ejus facta mentione, textu expresso in cap. *Licet Romanus* 1, de Constitutionibus in 6. ibi: «Romanus Pontifex, quia jura omnia in scrinio pectoris sui censeatur habere, Constitutionem condendo posteriorem, priorem (quamvis de ipsa mentionem non faciat) revocare noscitur.» (51. Nec valet instare, quod si Decretalis in dict. cap. *Relatum* 19, de offic. Deleg. ex toto fuisset correctæ per subsequentem Decretalem in dict. cap. *Gratum* 20, eod. tit. ipsa non fuisset posita in hac compilatione, utpote per S. Raymundum de Pennafort facta, *resecatis superfluis*, prout testatur



Gregor. IX. in Procmio decretalium. Non valet, inquam, quia Decretalis in dict. cap. *Relatum* non revocatur ex toto, sed solum ex parte per Decretalem in dict. cap. *Gratum*, quia etiam prior de facto juvat ad probandum, quod re integra expirat jurisdictio delegata per mortem Delegantis. Nec est superfluum, decisionem quæstionis adeo controversæ, ac inter summos quoque Pontifices agitæ, propositis diversis sententiis, corporis Juris communis inserere; immo videtur valde utile, maxime ut posterius noverint facta priora; cap. *Fuerunt autem* 2. dist. 7.

(52. Tertio, cessat jurisdictio et officium Delegati per cessationem Delegantis ab officio, ut si ab eo sit depositus re adhuc integra, seu jurisdictione nondum incepta; Glossa in cap. *Licet* 30, de offic. Jud. Delegat. verb. *Re integra*, circa finem, Abbas ibid. num. 7; Imola num. 25; Sanchez lib. 8, de Matrim. disput. 28, num. 32; Pirhing lib. 1, decret. tit. 29, num. 181; Reiffenstuel ibid. num. 129, et alii; mors enim naturalis et civilis æquiparantur, quando eadem subest ratio ut in casu proposito.

(53. Quarto, si Judex Delegatus, cui Delegatio facta est a Principe supremo, intuitu dignitatis suæ, ab ea sit depositus, vel ei renunciaverit, vel ad aliam dignitatem sit translatus, tunc si res adhuc integra sit, expirat jurisdictio subdelegati ab ipso; Glossa in dict. cap. *Licet*, verb. *Re integra*; Layman ibid. num. 2; Imola ib. num. 25; Pirhing l. c. num. 187. Et ratio est, quia non minus per depositionem a dignitate, vel renunciationem ipsius, vel translationem ad aliam, amittit Delegatus jurisdictionem, quæ ipsi intuitu ipsius dimissæ, seu amissæ dignitatis delegata est, quam per mortem naturalem: ergo sicuti per mortem naturalem Delegati, re adhuc integra, expirat jurisdictio subdelegati, ita et per mortem civilem, vide licet depositionem vel renunciationem, vel translationem Delegati, quæ æquiparatur morti naturali, cum tali dignitati dimissæ, seu amissæ, in qua fundabatur ejus jurisdictio, censeatur jam mortuus. (54. Si vero Delegatio a Principe supremo sit facta ipsi Delegato intuitu personæ, tunc re adhuc integra, expirat jurisdictio subdelegati, solum per depositionem Delegati a dignitate, non autem per renunciationem, vel translationem Delegati ad aliam dignitatem. Et ratio prioris partis est, quia jurisdictio Delegata, vel subdelegata, dum res adhuc integra est, censeatur potius pertinere ad Delegantem, vel subdelegantem, ab eoque pendere, quam ad delegatum, vel subdelegatum: adeoque si Delegans, vel subdelegans deponatur a dignitate, vel alias statum incompossibilem assumendo jurisdictionem amittat, de consequenti venit, ut etiam in Delegato, vel subdelegato jurisdictio expirat, cum non amplius possit talis jurisdictio fundari in persona ipsius Delegati, vel subdelegati. Ratio vero posterioris partis est, quia si Delegatus renunciet dignitatem, vel ad aliam transferatur, nihilominus jurisdictionem retinet in ordine ad causam sibi

intuitu personæ commissam, et consequenter etiam in ejus subdelegato jurisdictio permanere potest; Layman loc. cit. n. 3; Pirhing l. c. n. 185, et alii.

(55. Quinto, jurisdictio, et officium Delegati expirat per revocationem Delegationis suæ a Delegante, vel ejus Superiore factam, textu expresso in l. *Judicium* 18, ff. de Judiciis, ibi: «Judicium solvitur vetante eo, qui judicare jusserat; vel eo etiam, qui majus imperium in eadem jurisdictione habet;» et sic tenet communis Doctorum. (56. Princeps enim, seu quilibet Judex Ordinarius Delegans potest Delegationem suam libere revocare, non solum quando res adhuc est integra et judicium necdum cœptum est a Delegato, sed etiam re non amplius integra, et judicio a delegato jam cœpto, ut recte probat Glossa in cit. l. *Judicium*, ff. de Judiciis, dicens proxime allegatum textum loqui in casu, ubi lis contestata erat, alioquin enim non esset judicium; Laym. in c. *Venerabili* 37, de Offic. et potest. Jud. deleg. num. 4, et 5. Sanchez l. 8, de matrim. disp. 33, num. 6. Pirhing. loc. cit. num. 193. Reiffenstuel loc. cit. num. 136, et alii passim; (57. Delegans enim utitur jure suo, et quasi re propria, et in concessione jurisdictionis semper intelligitur excepta suprema potestas Principis, vel Superioris auctoritas; arg. c. *Venientes* 19, de Jurejurando. Delegatus autem a Papa, seu ab alio Principe supremo potest revocare Delegationem in totum a se alteri factam, solummodo quando res adhuc integra est, et judicium necdum cœptum est a subdelegato. Est communis quoad utramque partem. Ratio primæ partis est, quia jurisdictio non censeatur efficaciter transiisse in subdelegatum, nisi postquam eam exercere cœpit, ut habetur expresse in c. *Quamvis* 6, de Offic. deleg. in 6. ibi: «Cum jurisdictio, ex quo ipsa usu non extitit, non censeatur in eum efficaciter transivisse.» Ratio secundæ partis est, quia Delegatus a Papa, seu ab alio Principe supremo subdelegando alteri in totum causam sibi commissam, nihil sibi de jurisdictione reservando, tunc re non amplius integra, et judicio jam cœpto ab ipso subdelegato, jam suo functus est officio, adeoque nequit amplius revocare talem subdelegationem, et commissam alteri totalem causam, seu in totum jurisdictionem, ut habetur expresse in c. *Venerabili* 37, de Offic. deleg. ubi Honorius III. declarat Archiepiscopum Cusentinum, cui delegaverat causam Episcopi Cephaludensis, non potuisse revocare subdelegationem talis causæ in totum factam Abbati Panormitano, et eam iterum subdelegare Thesaurario Cusentino, ibi: «Archiepiscopus ipse (cum jam suo functus esset officio dicto Abbati committendo in integrum vices suas) hujusmodi negotium dicto Thesaurario non potuit demandare.» (58. Si vero Delegatus a Papa, vel ab alio Principe supremo non totam causam subdelegavit, sed solum aliquam partem ejus, aliquid de jurisdictione sibi reservando, tunc poterit re etiam non amplius integra talem subdelegationem revocare; Glosse in c. *Super*

*quæstionum* artic. 27, de Offic. deleg. § *Si vero*, verb. *Si non possunt*, Barb. in cit. cap. *Quamvis* num. 6. Pirhing. loc. cit. num. 199. Reiffenstuel l. c. n. 140. Molina tract. 5, de just. dis. 21, num. 4, et alii. Ratio est quia Delegatus Papæ, seu alterius Principis Supremi subdelegans solum partem causæ, seu aliquid sibi de jurisdictione reservans, manet adhuc Superior respectu talis causæ cum respectu ipsius adhuc retineat jurisdictionem; unde si a subdelegato appellari contingat, ad eum, et non ad Papam, seu Principem supremum appellari debet, textu expresso in cit. c. *Super quæstionum* artic. 27, de Offic. deleg. § *Porro*, ibi: «Cum autem sibi aliquid de jurisdictione reservat, si causa sit ei appellatione remota commissam, non ad nos, sed ad eum poterit de jure appellari;» et in c. *Si Delegatus* 7, eod. in 6. ibi: «Ad eum vocet, qui vices suas committit donec revocet, vel qui executionem sententiæ tantum, aut quidquid aliud de jurisdictione sibi reservat, non ad delegantem

(1) Post eruditos Commentarios in Verb. memorata tum ab Auctore nostro, tum etiam ab auctore Additionum exaratos, non abs re putavimus aliam hic non levem adtexere quæstiunculam, quam breviter extricare conabimur, ut eruditi lectoris votis cumulatissime satisfaciamus. Quæstio porro hunc in modum sese habet: num scilicet iis in casibus, in quibus Episcopis juxta novissimam Tridentini Concilii dispositionem tributa sit facultas agendi, sive procedendi, velut Sedis Apostolicæ delegatis, possint in iisdem casibus agere, sive procedere Vicarii Generales ipsorum Episcoporum absque speciali, ac novo mandato; cum Vicarii Generales Episcoporum in omnibus, quæ jurisdictionem spectant, vices gerant Episcoporum, atque una eademque persona cum illis censeantur.

Propositæ huic quæstioni ut satisfieri possit, pro eo, ac debet, expendendæ sunt diversæ formulæ, quibus utitur Tridentina Synodus in tribuenda Episcopis hujusmodi facultate agendi ut Sedis Apostolicæ Delegati. Quandoque enim in illis casibus, in quibus etiam ante Concilium ordinario jure potestatem habet, Episcopus constituitur etiam ut Sedis Apostolicæ Delegatus, et tunc apponitur particula *Etiam* hunc in modum: *Etiam tamquam Sedis Apostolicæ Delegati*. Quandoque vero constituitur Sedis Apostolicæ Delegatus in illis casibus, in quibus ante Concilium jure ordinario potestatem non habebat Episcopus; et in his, cum nova conferatur jurisdictio sive potestas non apponitur particula *Etiam*. Quandoque demum delegatur Episcopo hæc facultas agendi tamquam Sedis Apostolicæ Delegato cum adjectione dictionis *Solus, tantum, per seipsum*.

Itaque cum Episcopus constituitur etiam velut Sedis Apostolicæ Delegatus iis in casibus, in quibus ante Concilium Episcopus jure ordinario potestatem habebat, tunc poterit in iisdem casibus agere Vicarius Generalis Episcopi sine novo, et speciali mandato: quandoquidem in hisce casibus videtur potius excitari jurisdictio, quæ prius competebat, quam nova delerri potestas: ut loquuntur Juris Canonici Periti. Quare Vicarius Generalis Episcopi poterit eodem actus, eademque munia, ac ipsi Episcopi, ea in re exercere.

Cum vero constituitur Episcopus uti Sedis Apostolicæ Delegatus iis in casibus, in quibus jure ordinario ante Concilium facultatem non habebat; et in his quidem subdelegare Vicarium suum potest, ut colligitur ex cap. *Quoniam Apostolica Sedes* 43, de Officio Delegat. At per generalem institutionem Vicarii,

primum appellari debebit, etiamsi post sententiam fuerit appellandum. »

(59. Sexto, jurisdictio, et officium Judicis delegati cessat lapsu præfixi sibi temporis; c. *de causis* 4, et c. *Consuluit* 24, de Offic. et potest. Jud. deleg. Tunc enim jurisdictio non nisi limitata, seu ad tale tempus delegata censeatur, adeoque tali tempore elapso expirat etiam jurisdictio, et officium Delegati solummodo ad tale tempus. Est communis. (60. Septimo, jurisdictio, et officium Delegati cessat finito negotio, ad quod Judex datus fuit; c. *In literis* 9, de Offic. et potest. deleg. Semel ac enim sive bene, sive male functus est officio, deficit esse Judex; l. *Judex*, ff. *de re judic.* adeo ut nequeat amplius sese interponere tali causæ, seu negotio; «quin (ut dicit textus in cit. c. *Literis*) ex quo Judex delegatus per se, vel per alium sententiam executioni mandavit, vel mandari præcepit, ejus auctoritas, et jurisdictio cessat, quia semel est officio suo functus. Est communis (1).» (61. Octavo, Jurisdictio, et officium

non censeatur translata in ipsum facultas, quæ speciali tantum jure competit Episcopo, veluti Sedis Apostolicæ Delegato, juxta cap. *Cum in generali* 3, de Officio Vicarii in 6.

Demum cum delegatur Episcopo hujusmodi munus agendi velut Sedis Apostolicæ Delegato cum adjectione dictionis exclusivæ *Solus, Tantum* etc. in his casibus Vicarius Episcopi, et alii quicumque excluduntur, cum industria personæ censeatur electa. Quare Episcopus alteri negotium demandare non poterit juxta laud. Cap. Quoniam Apostolica, etc.

Ut vero exemplis ex ipsa Tridentina Synodo deductis eximium hoc doctrinæ caput majori in lumine constituatur, pauca quædam oppido, imo et maxime opportuna adjiciemus.

Cum Parochi a Sede Apostolica dispensationem de residentia ad tempus impetraverint, quæ ex veris tantum, et legitimis causis coram Ordinario probandis suffragabitur, officium erit Episcoporum, *tamquam hac parte Sedis Apostolicæ Delegatorum*, providere, ut per deputationem idoneorum Vicariorum, et congruæ portionis fructuum assignationem, cura animarum nullatenus negligatur, *nemini quoad hoc privilegio, vel exemptione quacunque suffragante*. Concilium Tridentinum sess. 6. c. 2, de *Reformat.* Hæc autem facultas in Vicarium Generalem Episcopi transfertur, et transit, si Ecclesiæ Parochiales non sint exemptæ. Quia hæc Vicariorum deputatione jure ordinario spectabat ad Episcopum ante Concilium. Cap. *Cum ex eo* 35. § *Porro de Elect.* in 6. Si vero Ecclesiæ sint exemptæ, facultas illa non transit in Vicarium Generalem sine speciali Delegatione, quia eo casu Sacra Synodus Episcopum agere jubet *tamquam in hac parte a Sede Apostolica delegatum.*

Episcopus in sua residens Ecclesia de subreptione, et obreptione gratiæ, quæ super absolutione publici criminis vel delicti, de quo ipse inquirere cœperat, aut remissione pœnæ ad quam reus nuper damnatus fuerat, falsis precibus impetratur, cognoscere potest tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus, ex eodem Tridentin. Sess. 15, cap. 5, de *Reformat.* Hujus tamen causæ cognitionem suscipere non potest Vicarius Generalis Episcopi. Hanc enim facultas prius Episcopo non competens illi tribuitur, «ut per se ipsum tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus, etiam summarie, cognoscat, ipsamque gratiam, postquam per falsi narrationem, aut veri taciturnitatem, obtentam esse legitime constiterit, non admittat.» Quamobrem hæc potestas, sive pars jurisdictionis non transit in Vicarium Generalem